



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

Oratio Gallici Legati ad Lusitaniæ Regem pro obtinendo ejus patrocínio  
erga Siamensem Oratorem, & Missionarios cum prima legatione Siamum  
An. 1685. missos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

declarationes velut sincerissimi cordis mei, horumque Senatorum, omniumque patriæ meæ civium specimina respicere, & acceptare dignetur: Æstuo igitur præ immenso certa restauratæ Benevolentia suæ signa experiendi desiderio &c.

*Oratio Gallici Legati ad Lusitanicæ Regem pro obtinendo ejus patrocínio erga Siamensem Oratorem, & Missionarios cum prima legatione Siamum An. 1685. missos.*

Ad Pag. 591.

Rex potentissime!

Nuperis literis ex Francia allatis Majestati vestræ significare jussus sum, quod Rex ac Dominus meus, obsequiosæ Siamensis Regis voluntati satisfactorus, Oratorem quemdam ad eundem Principem maritimo itinere ablegare, eademque occasione in eodem navigio bellico sex Jesuitas natione Gallos, ex Siamensi Regno Macaoum in Sinis transmittere decreverit: Hisce Religiosis hoc impositum est negotium, ut in suo tam terrestri, quam maritimo itinere principalium locorum longitudes, acus magneticæ declinationes & variationes, ac demum quicquid ad perficiendas nostras mappas Geographicas,

phicas, dirigendasque navigationes conferre poterit, sedulo observent, & in raros cujuscunque generis libros pro Regis Domini mei Bibliotheca exacte inquirent. Eapropter Vestram Majestatem certiozem reddere jussus sum, hisce Religiosis serio injunctum esse, ut in quocunque loco eos venire contigerit, ubique cum subditis Majestatis vestræ obsequiose conversarentur, omneque officii ac debitæ submissio- nis genus Lusitanis Præsulibus deferrent. Igitur Rex meus minime dubitat, Regiam suam Majestatem pariter exoptaturam, ut ejus subditi in Oriente omne auxilium, opemque, quantum hi Religiosi ad itinere- ris, ac negotii ipsis demandati executio- nem indiguerint, præstent: Ut autem hi de hoc favore certiores reddi possint, jus- sus sum petere, prout & confidenter a Ve- stra Majestate peto, pro hisce Religiosis amplissimas, & maxime idoneas publicæ securitatis literas: Navis vero, qua Fran- ciæ Orator, præfatique Patres Jesuitæ Sia- mum profecturi sunt, abs omni dubio Mense Martio ad finem vergente portu solvet: quapropter humillime rogo, ut Majestas vestra præcipere velit, ut præfatæ literæ expediantur, & quanto citius fieri poterit, mihi tradantur.